



**R.P.Fr. Lvdovici Granatensis Ordinis S. Dominici SS.
Theologiæ Professoris Opera**

In tres tomos distributa

Opvscvla Spiritvalia Continens, in quibus peccatores à semita vitiorum &
perditionis, ad regiam virtutum, perfectionis, ac salutis æternæ viam,
perducuntur

Luis <de Granada>

Coloniae Agrippinae, 1626

Pars Decima. Orationes vocales ante & post Communionem recitandas
complectens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79597)

les effectus in omnibus se dignè manducantibus operatur, non suscipere desideret, atq; illius ingenti cupiditate non teneatur?

In harum rerum consideratione debet se quilibet occupare illo die quando communicaturus est, v. suscitet in se tres supradictos effectus in quibus actu.

alis deuotio ad huius celestis epuli sumptionem requisita, consistit,

Quam etiam non parum excitabunt sequentes orationes, si pia cum mentis deuotione possibilique attentione legantur, quia in illis inueniet anima pia verba & considerationes, quibus in se tres prædictos effectus facile suscitet.



P A R S D E C I M A.

ORATIONES VOCALES ANTE ET POST communione recitandas complectens.

ORATIO DEVOTA ANTE COMMU- nionem dicenda.

I E laudo, tibi gratias ago, dulcissime Domine, Seruator & Redemptor mi, pro tantis tuis beneficijs, quæ in tam vilem & miserabilem creaturam conferre dignatus es. Tibi gratias ago, Domine mi, pro omnibus miserationibus tuis, quibus erga genus humanum vñs es, in mysterio sanctissimæ tuæ Incarnationis; præcipue verò in Natiuitate, Circumcisione, in templo præsentatione, in fuga tua Aegyptiaca, in ieiunio & tentatione, in laboribus & itineribus multis, in prædicationibus & persecutionibus mundi huius, in tormentis & doloribus acerbissimæ tuæ passionis, & in omnibus his, quæ in hoc mundo pro me passus es. Ante omnia verò gratias tibi ago immensas, pro ineffabili amore tuo, qui te pro me pati impulit, qui sanè omnibus operibus tuis sine vlla comparatione maior est. Insuper & quas possum gratias ago, quòd non dedigneris me ad sanctissimam tuam mensam admittere, participemque tui ipsius, & omnium meritorum inestimabilisque thesauri tuæ passionis facere. O Deus meus, & Saluator meus; quomodo hanc nouam misericordiam tuam potero compensare? Quis es tu, & quis sum ego, quòd tu Dominus supremæ Maiestatis, dignaris te venire in luteum terrenumque habitaculum meum? *Domine tuam Domine decet sanctitudo in secula seculorum*: cur itaque venis in domum meam, quæ nunquam non malignitate abundat? Cælum hospitium & sedes tua est, & terra scabellum pedum tuorum: quia & cælum & terram implet gloria tuæ Maiestatis: quomodo itaque non abhorres ad tam vile hospitium meum diuertere? *Ergone putandum est, inquit Salomon, quòd verè Deus habitet super terram? si enim cælum & celi caloribus te capere non possunt, quanto minus hac exigua domus meam non capiat?* O res admiranda, quòd qui sedet super Cherubim, & intuetur abyssos, nunc sese vsque ad hanc abyssum humiliat, & in infimo loco sedem suæ Maiestatis collocat.

Parum tuæ infinitæ bonitatis visum est, quòd Angelos nostro ministerio destinaisti, ipse ad nos venire voluisti, & in animas nostras intrare, vt proprijs manibus illic negotia nostræ salutis operareris. Ibi tu visitas infirmos, lapsos erigis, doces ignorantes, reducis errantes, quid multis? tu ipse es qui curas ibi vulnera, & languores nostros omnes, non alterius manibus, sed proprijs; non longè petita medicina, sed propria carne, proprioque tuo sanguine.

O optime Pastor, quàm abundè satisfecisti pro Granat. Opus. spiritual.

missioni tuæ, quam olim per Prophetam dedisti dicens: *Ego pascam oues meas, & ego accubare faciam eas*. Sed quis erit dignus hac gratia? quis erit dignus tanto beneficio? Sola tua misericordia, Domine, nos dignos potest facere bonis tam infinitis: & quoniam sine illa nemo dignus esse potest, illa sit Domine mihi propitia, illa me tantorum mysteriorum faciat participem, faciat & me gratum tam inestimabili beneficio. Suppleat quæso quidquid mihi deest gratia tua, dimittat mihi omnia peccata mea misericordia tua, præparet animam meam Spiritus tuus, ditent paupertatem meam merita tua, & eluat omnes maculas animæ meæ totiusque vitæ meæ sordes sanguis ille tuus pretiosus, vt possim dignè tremendum hoc Sacramentum suscipere.

Exhilarat me, Deus & Domine mi, quoties recordor insignis illius miraculi, quando mortuus Eliseus mortuum cadauer solo tactu corporis sui resuscitauit. Nam si tantum potuit corpus mortuum Prophetæ, quid non poterit corpus viuum omnium Prophetarum Domini? Certus sum Domine mi, quòd tua potentia non est minor potentia Prophetæ, & fateor quòd anima mea non minus mortua est, quam corpus illius hominis; nec minoris efficacis attactus hic, quam ille. Quare itaque non debeo simile beneficium expectare? Quare maiora miracula faciet corpus in peccatis conceptum, quàm corpus conceptum à Spiritu sancto? quare maiorem prærogatiuam habebit corpus serui, quàm corpus Domini? Quare non resuscitabit sacratum corpus tuum animam, quæ cohaeret, aut coniungitur tibi, dum resuscitet ille corpora quæ ab ipso attinguntur? Et quia corpus hoc resuscitatum fuit, etiam si vitam non perierit, sola virtute ossium beati Prophetæ; placeat quæso infinita misericordiæ tuæ, Domine mi, dare mihi vitam per medium huius Sacramenti petenti, vt iam non viuam ego, sed tu viuas in me. O bone Iesu, per illam inestimabilem charitatem & amorem, qui te pro me pati fecit, & ignominiosissimam mortem subire, supplex te oro, vt velis me mudare ab omnibus peccatis meis, & vicissim omni virtutum genere, omnibusque meritis tuis me adornare, gratiam insuper mihi donare, vt sanctum hoc Sacramentum tanta cum humilitate, & reuerentia, tanto cum timore & tremore, tanto cum dolore, & cum penitentia peccatorum meorum tanta, denique tanto cum amore & charitate suscipiam, quantam requirit augustissimū hoc Mystrium, Da mihi, benignissime Domine mi, eam intentionis puritatem, cum qua dignè ad mensam tuam mysticam accedere possim, ad gloriā nominis sancti tui, & ad remedium omnium infirmitatum & necessitatum

Vuu 2 sitatum

Palm. 92.

2 Reg. 8, 27.

Dan. 3.

ficatum mearum; utque potens sim me defendere his armis contra inimicos meos, meque sustentare hoc cibo in vita spirituali: fac denique me vnum tecum hoc amoris Sacramento interueniente: offerendo tibi hoc sacrificium pro salute omnium fidelium, tam viuorum quam mortuorum, ut omnes etiam adiuuantur virtute inestimabili huius Sacramenti, quod pro salute omnium est institutum & consecratum: tu qui viuus & regnas in secula seculorum. Amen.

ORATIO S. BONAVENTURÆ

post Communionem.

Domine Deus meus, quomodo ausus sum te alloqui vilissima creatura? nam fetidissimus sum, horribilis sum, steruus vermisque nequissimus & vanissimus homo. Tu autem Deus Deorum: Dominus Dominantium, omne bonum, honestum, & pulchrum, omnis utilitas, omnis amicitia, omnis suauitas, fons splendoris, fons melodie, fons odoris, fons dulcoris, fons amoris & intimus dilectionis amplexus. Et tu rogas me & ego fugio, de me es sollicitus, de te non curo, mihi semper seruus, & ego te semper offendo, te mihi tribuis, & ego te contemno: me ergo vanitatem & nihil diligis, & te infinitum & inenarrabile bonum sperno: fetorem, horrorem, mortalem dolorem, tibi o beatissime, benignissime, amantissime sponse propono. Plus me allicit creatura, quam creator: vanitas quam eternitas: detestabilissima miseria, quam summa felicitas. Plus me inclinant sordes, quam eleuet pulchritudo, seruitus quam magnitudo, amaritudo quam dulcedo. Nam meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula inimici, & tamen plus approbo hoc affectu fraudulenta oscula, quam vulnera diligentis. Sed ne reminiscaris Domine delicta mea, vel parentum meorum, sed pietatis tue viscera, & dolorem tuorum vulnerum. Non quod ego, sed quod tu pro me sustinuit, considera. Si me ut ostendis diligis, cur me relinquis? cur fatigari permittis? Me ergo, amantissime, tene timore, restringe amore, quiesce dulcore. Dulcissime sponse nequeo, nescio, tibi volo seruire, tibi adhaerere toto corde, imò vix pericula amare. Hoc operari in me tu potes, tu scis, tu vis & à me exiges. Quid ergo? Deficiam in beneplacito meo, vel tu in tuo? Obsecro ut non praeualeat homo, sed Deus. Nolo in hac contrarietate deficere, nec succumbere, sed succurre festinanter. Vivendo luxuriose, & me nimis, & tuas creaturas lasciuie amando, totam meam substantiam dissipavi. Nunc recognoscenti miseriam & penuriam meam, atque famelico appetitu ad paternam misericordiam viscera redeunt, me oculis tue pietatis agnosce, & dignare mihi radijs tue gratiae letabundus occurrere, & cum amplexibus pacis & quietis largiaris oscula. En recognosco quod in coelum, & in totam curiam celestem, & Ecclesiam Romanam, imò in omnem creaturam tuam, & coram te, te contempto peccavi, & malum coram te feci. Et certe non sum dignus vocari filius tuus, nec mercenarius etiam seruus, aut aliqua vilissima creatura, sed misereri mei, & dele iniquitatem meam, ut iustificeris in sermonibus tuis & vincas cum iudicaris, quia dicunt animæ meæ non est salus ipsi in Deo eius. Obsecro iube, ut detur mihi charitatis stola, fidei feruentis annulus, in calceamentis & eleuantis, & confirmantis spei protegantur pedes, ut sic ebrius tuo sanguine, totus in te resoluam amore. Iniret dolor tuus intima mea, & omnem amorem expiet alienum. Sim tecum crucifixus mundo, ut sic mortuus, vita mea sit tecum abscondita in Deo. O vita mea, vita felix quæ abscondita est ipsi mundo, & sociata ipsi Christo, in Deo centro suo, quietatur. Vnum est mihi necessarium, & solum vnum quero. Abscedat ex-

phantasmatum multitudo. Vnus est dilectus meus: vnus est amor meus Iesus Christus, Deus meus, sponsus meus. Nihil ergo mihi sapiat, nihil delectet, nihil afficiat nisi Iesus Christus. Totus sit meus, totus sim suus, & fiat cor meum vnum cum ipso, nihil indicans me scire, vel amare, vel affectare, nisi Dominum IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuere & regnare, Per omnia secula seculorum, Amen.

ORATIO SVB MISSA DICENDA.

In qua Patri mors virginis, Filij sui offertur.
Ex diuersis D. Augusti. locis
concinmata.

O Clementissime, supremeque cali & terræ Creator, quamuis ego vilissimus sum & omnium peccatorum maxime detestabilis, tamen vnâ cum Ecclesia offero tibi pretiosissimum sacrificium, Vnigenitum scilicet Filium tuum, pro omnibus meis peccatis, quæ usque huc commisi, & pro beneficijs omnibus, quæ hactenus à te percepi. Aspice pie Pater piissimum filium, pro me tam impia passum. Respiice clementissime Rex quis patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Nonne hic est, mi Domine, innocens ille, quem vt serum redimeres filium tradidisti? Nunquid non auctor vitæ hic est, qui vt ouis ad occisionem ductus, tibi quæ usque ad mortem obediens factus, atrocissima non timuit necis genus subire? Recole totius salutis dispensator, quia hic est ille, quem etsi ex tua virtute genuisti, mea tamen infirmitatis participem fieri voluisti. Verè hæc est tua Deitas, quæ meam induit naturam, crucis ascendit patibulum, quæ in assumpta carne triste tulit supplicium. Reduc Domine Deus meus, oculos tue Maiestatis super opus ineffabilis pietatis. Intrare dulcem natum toto corpore extensum: Cerne manibus innoxias pio manantes sanguine, & remitte placatus scelerum, quæ patrauerunt manus meæ. Considera inermem latus crudeli perfossam cuspide, & renoua me sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulauerunt in via tua, diris confixa clauis, & perfice gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis. Oro te, Rex Sanctorum, per hunc sanctum Sanctorum, per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam spiritu vniri, qui mea non horruit carne vestiri. Nunquid non attendis, pio Pater, adolescentis filij charissimi caput, nitæa ceruice deflexa, pretiosissimam resolutum in mortem? Aspice mitissime Conditor dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat tenebratos pedes beati sanguinis vnda. Specta gloriose Genitor gratissima proles lacerata membra, & memorare benignus quæ mea est substantia. Conspicere Dei hominis penam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum.

Ecce hic est Adlocutus meus apud te Deum Patrem. Ecce Pontifex summus, qui non alieno eget expiari sanguine, quia proprio resulget perfusus cruore. Ecce hostia sancta, beneplacens & perfecta, in odorem suauitatis oblata & accepta. Ecce agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit: qui alapis cæcus, sputis illitus, opprobrijs affectus, os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, & liuores nostros suo liuore sanauit.

Quid

Ex cap. 7.

Quid commisisti dulcissime puer, vt sic iudicare-
ris? Quid commisisti amantissime iuuenis, vt aded
dure tractareris? Quod scelus tuum? quæ noxa tua?
quæ causa mortis? quæ occasio tuæ damnationis?
Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisio-
nis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagiti-
um. Ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor. O
mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterij
dispositio. Peccat iniquus, & punitur iustus: delin-
quit reus, & vapulat innocens: offendit impius, &
damnatur pius: quod meretur malus, patitur bo-
nus: quod perpetrat seruus, exoluit Dominus: quod
committit homo, sustinet Deus. Quò nate Dei, quò
tua descendit humilitas? quò tua flagrauit charitas?
quò processit pietas? quò excreuit benignitas? quò
peruenit compassio? Ego enim inique egi, tu poena
multaris: ego facinus admisi tu ultione plecteris.
Ego superbiui, tu humiliaris. Ego tumui, tu attenu-
aris. Ego inobediens extiti, tu obediens scelus ino-
bedientiæ luis.

Ex cap. 8.

Ecce omnipotens Deus, Pater Domini mei, di-
spone benignus, quo miseraris mei, quoniam quic-
quid pretiosius inueni, deuotè obtuli: quidquid cha-
rius repperi, suppliciter presentavi. Direxi tibi Ad-
uocatum meum, dilectum filium tuum. Amplecte-
re serenus pastorem, & respice misericors allatam
proprijs humeris ouem. Oro te pie Pater, da mihi,
vt per hanc orationem merear illum habere Aduo-
catum, quem nullo meo merito, sed ex pura tua gra-
tia mihi dedisti Redemptorem, Amen.

*ALIA ORATIO SUB MISSA, AUT
alio quocunque tempore legenda.*

A Doro, laudo, glorifico te, Domine Iesu Chri-
ste, benedico & gratias ago tibi, fili Dei viui,

quia voluisti sanctissima & tenerima membra tua
tam immaniter pro me affligi, & lacerari. Benedico
singulis & omnibus illis, pro amore & honore tui.
Saluete pedes Domini mei, pro me extensi, laniati,
& duris clauis transfixi. Saluete genua, toties pro
me in terram posita, & toties eundo defatigata. Sal-
ue pectus floridum, amore mei totum mutatum, &
liuoribus vulneribusque deformatum. Salue latus
sacratissimum, lancea pro salute mea crudeliter a-
pertum. Salue cor amabile, piuum, & suauē, durissi-
mo pro me ferro traiectum. Salue dorsum sanctissi-
mum, multis flagellis laceratum, & multis plagis
dilatatum. Saluete charissima brachia, amore mei
extensa, & cruci affixa. Saluete manus delicate, pro
salute mea clauis perfossa. Saluete humeri candi-
dissimi, pro me sugillati, & asperrimo Crucis pon-
dere contusi. Salue collum niueum, & os mellitu-
um, pro me aceti & fellis amaritudine repletum. Et
vos aures benignissimæ saluete, quæ propter me tot
iniurijs, contumelijs & blasphemijs fustis oppleta, &
grauiter offensa. Saluete oculi beati, qui pro me tot
lachrymarum riuulos effudistis. Salue caput nobi-
le, spinis immaniter lacinatum, vt me corona glo-
riæ condecorares.

Clementissime Iesu, saluto pretiosum corpus tu-
um vniuersum, quod pro salute mea flagellatum,
vulneratum, crucifixum, mortuum, & sepultum est.
Salue pretiosissime sanguis, qui effusus, & pro me
Patri oblatum es. Salue anima nobilissima nostri Sal-
uatoris, quæ afflicta & angustata es, vt ego maiori
fruerer latitia. O dilectissime Domine, oro te per
sacratissima membra tua, vt mea sanctifices, & ab
omni forde emacules, quibus cum tuam Maiesta-
tem offendi, malis meis seruans appetitibus. Oro
Domine, ignosce mihi, tu qui viuis & regnas in se-
cula seculorum, Amen.



PARS VNDECIMA.

INSTRUCTIO SIVE REGVLA

BENE VIVENDI.

PRO HIS QUI DEO PRIMUM SER- uire incipiunt.

Ntequam de virtutibus quibus Deo
seruire volentem instructum esse oportet,
agamus, necessarium est declarare,
quis potissimum finis in spiritali vita
spectandus sit: siquidem illius ignorantia
fit vt plurimi extra veram semitam in incertum
oberrent.

*Quia finis in
spiritali
vita spectan-
dus sit.*
Finis itaque totius negotij huius est corrigere ac
mortificare vitia naturæ, ac hominem ex carnali, ef-
ficere spiritualementem, & ex vitioso virtuosum: vt finem
suum propter quem creatus est, Deum videlicet,
consequi possit. Finis est creare hominem nouum
non de terra sed de celo: non ex carne sed ex spiritu:
non conformem imagini Adam terreni, sed coele-
stis: non secundum primæ generationis, quæ per na-
turam fit, affectus & conditiones: sed iuxta secundæ
generationis, quæ per gratiam efficitur. Finis deni-
que est, hoc agere quod Deus Ieremia Propheta præ-
cepit, quando ait. *Ecce constitui te hodie super regna,
vt excellas, & destruas, & disperdas, & dissipas, & adi-
fices, & plantes.* Vt nimirum ex anima omnes appe-
titus & inordinatæ cupiditates, quas ex vtero ma-

Granat. Opus. spirital.

tris & corruptela peccati traximus, euellantur: &
pro eis virtutes quæ ex noua generatione & adop-
tione filiorum Dei existunt, plantentur. Nam quæ
modum is, qui hortum in aspero & inculto monte
constitutus, & ex electis arboribus constitutus est,
primum industriad omniem adhibet, vt frutices
omnes & siluestria germina eradicentur, ac tum
primum arboribus fructiferis eum conserit & or-
nat: sic qui ex anima sua constituere vult hortum con-
clusum & Paradisum deliciarum, primum omnes
herbas noxias ac vitiorum spinas funditus eradica-
re, ac extirpare, deinde loco earum pulchros virtutū
& gratiarum flores plantare, debet. Cui simile faci-
unt illi qui in tabula venustam icunculam aliquam
delineaturi sunt: hi primum à ligno omnē inæquali-
tatem, & deformitatem quæ secum è syluis aut mō-
tibus adduxerat, auferunt, dolent & expoliunt eam
quididissime: atq; his peractis quascunq; libet figu-
ras & imagines in tabula sic polita depingunt. Eadē
diligentia opus est in hoc rerum nostrarum statu,
quo natura humana per peccatum non parum debi-
litata & corrupta est, ad destruendas & euerrendas

Simile.

Vuu 3

primæ